Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8391
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



·21·

quamuis iam minime miser sis, et qui non pateris, compateris tamen. Affectus proinde tuus non est imminutus, nec quomodo deum induisti, nostri cura te exuisti, et ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est abiecisti, sed non quod pium. Caritas denique nunquam excidet, non obliuisceris me in finem. Videor mihi audire meum quasi fratrem dicentem. Numquid mater obliuisci potest filii uteri sui. Et illa si oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Non expedit prorsus. Scis ubi verser, ubi iaceam, ubi reliqueris me. Non est qui porrigat manum. Ad omne quod emerserit respitio ad. G. ut consueueram et non est. Heu tunc ingemisco miser sicut homo sine adiutorio. Quem consulam in ambiguis, cui in aduersis fidam, quis portabit onera, quis pericula propulsabit. Nonne ubique gressus meos. G. oculi annibant. Nonne tuum. G. pectus cure mee notius quam meum ipsius habebant familiarius incursabant, acrius urgebant. Nonne in lingua tua illa placabili et potenti meam a sermonibus seculi frequentissime vendicabas, amico reddebas silentio

dominus dederat illi linguam eruditam, ut sciret quando deberet proferre sermonem, ita denique imprudentia responsorum suorum et gratia sibi data desuper, et domesticis satisfaciebat et exteris, ut pene me nemo requireret cui forte prior sibi occurrisset. Occurrebat autem aduentantibus opponens se ne subito otium meum incursarent. Sed quibus satisfacere per se nequibat hos perducebat ad me, ceteros admittebat. O virum industrium, o amicum fidelem, et amico gerebat morem, et officiis caritatis non deerat. Quis vacua ab eo recesserat manu. Si diues consilium, si pauper subsidium reportabat. Nec querebat que sua sunt qui se medijs ingerebat curis ut ego vacarem. Sperabat enim sicut erat humilimus maiorem de nostra quiete fructum quam si vacaret ipse. Interdum postulabat absolui, et alteri cedere quam qui melius prouideret. Sed ubi ille muniretur, nec petulanti ut assolet aliquo in eo officij detinebatur affectu, sed solo intuitu caritatis. Siquidem plus omnibus laborabat, et minus accipiebat